



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De scriptoribus ecclesiasticis, qui horum tempestate claruerunt. Cap. XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

Qui sub eodem, Antiochenæ Ecclesiæ episcopi fuerint.

CAP. XIX.

ANtiochenæ ecclesiæ, cū post Heronem Cornelius quartus ab apostolis præfuisset (quo mortuo Heros quintus ordine episcopatum obtinuit) Theophilus sextus episcopus designatus fuit.

De scriptoribus ecclesiasticis, qui horum tempestate claruerunt.

CAP. XX.

Eisdem temporibus Hegesippus in ecclesia magna cum laude floruit, qui ex superiore nostro sermone potest satis exploratè cognosci. Dyonisius etiam Corinthiorum episcopus & Pinxtus Cretæ episcopus, Philippus præterea Apollinarius, & Meliton Musanus, & Modestus, Irenæus denique etiam eodem tempore viguerunt. Quorum diligentia & labore recta integræ fidei & apostolicæ traditionis opinio ac sententia scriptis prodita, ad nos peruenit.

De Hegesippo, & ijs quorum ipse mentionem facit.

CAP. XXI.

Hegesippus quinque libris, qui ad nos peruenierunt, accuratissimam plenissimamque suæ sententiæ & opinionis de fide declarationem post se reliquit. In quibus ostendit, se in itinere Romam versus suscepto multis cum epistolis sermonem contulisse: & vnam eandemque accepisse ab omnibus doctrinæ formam & institutionem. Atque illum quidem post alia, quæ de Clementis ad Corinthios epistola disseruerit, ista quæ sequuntur narrantem audire licet. Ecclesia Corinthiorum in vera rectaque doctrina constanter perstabat vsque ad Primum, qui ibidem gessit episcopatum. Qui cum ipse, dum Romam versus nauigabam, de religione nostra cõmunicauit, & Corinthi non paucis diebus commoratus sum: in quibus dum inter nos de doctrina Catholica, multa conferebamus, non parū vterque ab alterius consuetudine cepit oblectationis: cum essem Romæ, mansi, ibi vsque ad Pontificis Aniceti tempora: cuius tum quidem Eleutherus diaconus erat. Huic successit Soter,

quo